



HISTORIA STELLÆ NOVÆ,  
 APPARENTIS IN ASTERISMO  
 Cassiopeæ. Cap. i.



*LLVXIT* sidus quoddam iubare  
 splendido, rutilantiq; in imagine Cassi-  
 opeæ: maius augustiusque quam ulla in-  
 errantium, quæ primi honoris esse dicun-  
 tur: cuius magnitudo tamen, siue cum i-  
 pso Ioue & Marte, siue cum Arcturo,  
 aut Canicula comparari possit: cæpitq; fulgere sub initium  
 Nouembris anni 72: quamquam non desint qui illud cir-  
 ca medium Octobris se vidisse testentur: verum à me non  
 prius quam ante solennem Natiuitatis D. ac Saluatoris  
 nostri memoriam conspectum est. Mensibus ad summum  
 quatuor & amplius, veluti fax quaedam fulsit: inuariato  
 imminutóque lucis ac luminis sui splendore & maiestate:  
 tandem paulatim cæpit diminui, ac rutilum suum colorem  
 in pallidiorem conuertere videbatur: ut mense Maio anni  
 73. quo hæc scribendo recognoscebamus, propemodum exæ-  
 quauerit se reliquis in eadem imagine stellis: ac non nisi ab  
 his, qui ipsum sæpius antea contemplati sunt, dignosci potu-  
 erit. Constituebat figuram quadrilateram anormem, hoc